Lot 47

885

51979/B

D. III.

18/t

42759(1)

AD VIRVM

NOBILISSIMVM ATQVE EXCEL-LENTISSIMVM

DOMINVM DOCTOREM

ALBERTVM HALLERVM

MEDICVM ET ANATOMICVM

APVD

BERNENSES HELVETOS

CLARISSIMVM

DE

VASIS LINGVAE SALIVALIBVS

ATQVE

SANGVIFERIS

EPISTOLA

CHRISTOPH. IACOBI TREVV,

MED. DOCT. REIP. NORIMB. PHYSICI ORD.

ACADEMIAE CAES. NAT. CVR. VT ET COMMER-CII LITTERARII PHYSICO-TECHNICO-MEDICI SODALIS.

ACCEDVNT TAB. AEN. IV.

NORIMBERGAE,

Typis IOANNIS ERNESTI ADELBVLNERI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

A. Ω.

HUmanitatem Tuam, VIR CLARISSIME, in omnes officioſam non minus, quam ſingularem beneuolentiam ſigillatim in me collatam multa argumenta comprobant. Non poſtulant eadem, vt pluribus exponam, cur ſermones publice Tecum facere minus dubitauerim. Occaſionem mihi praebet conſilium Tuum (a) quo intellexi, *Te ſedulo repetiturum eſſe tractatum de vaſis ſaliualibus abs Te quondam inchoatum, per modumque diſſertationis* (b) *propoſitum, quem ob rationes quasdam grauiores, figuris iam pluribus paratis, tunc derelinquebas.* Quum enim eo ſtatim tempore, quo noua quaedam circa hos ductus, cumprimis a D. D. COSCHWITZIO (c) Profeſſore Halae Magdeburgicae clariſſimo, beatae nunc memoriae, praedicabantur, ego quoque in eadem inquiſiuerim, atque, quae videre contigit, alibi iam (d) lingua vernacula, occaſione ſic ferente, expoſuerim, tunc autem promiſerim, me eadem alia occaſione figuris illuſtraturum fore: liceat mihi, quominus huc vsque promiſſis ſtarem, impedito, illa nunc Tibi conſecrare, ſimulque pauca ab initio repetere.

(a) Commercii litt. phyſico-technico-medici a. 1734. Hebd IV. p. 26. no. IV.

(b) primum reſpondendo, ſub praeſidio Cl. D. D. JO. GE. DVVERNOI *Tubingae 1725.* atque deinde in diſſertatione inaugurali *Lugd. Bat. 1727.*

(c) in diſſert. quadam academica, et paullo poſt in peculiari ſchediaſmate a. 1724.

(d) in denen *Fraenckiſchen Actis eruditis et curioſis III. Sammlung no. IX. p. 187. ſeqq.*

Quam primum deſcriptio atque delineatio *noui ductus ſalinalis* lauda- ti COSCHWITZII ad me peruenit, ſtatim perluſtrationem eius in lingua humana, vnacum partibus vicinis per aliquot ſeptimanas, pro alia diſquiſi- tione, in commodum tempus liquore ſpirituoſo conſeruata, inſtitui. Illa, manuducente *figura prima et ſecunda Coſchvvitziana*, reclinatis muſculis genio-hyoideis obliquis et rectis, ſine vlla difficultate exhibuit *ramos R. R. excitatae figurae*, ſuper *neruum noni paris* ad *glandulam maxillarem* aeque ac *ſublingualem* excurrentes. Horum vero conſpectus dubia, ob analogiam cum aliis ductibus excretoriis deficientem antea orta, ſtatim auxit, atque, an hi ductus potius pro venarum propaginibus habendi ſint, quaerendum eſ- ſe monuit, inprimis quum in figuris ante dictis, trunci abſciſſi ſi excipias particulam, nulla conſpicerentur venarum veſtigia, quarum tamen diſtribu- tio et explicanda et depingenda, ad euitandum errorem, vt mihi quidem vide- tur, perquam neceſſaria fuiſſet, etſi Autori, prouti ille in defenſione ſua lo- quitur (e) *non fuerit animus, deſcriptionem totius linguae ex profeſſo exaran- di*. Vt autem mens haerens certior fieret, apertura in regione ſupra neruum praedictum facta, flatum anteriora verſus immiſi, quem non ſolum *ramos R. R. memoratos*, verum etiam *venas raninas*, eleuare non ſine admiratione vidi. Tubulo autem per eandem aperturam retrorſum directo, flatum ad ſuperficiem linguae ſuperiorem adigere, fruſtra tentaui, id quod conſtrictio- ni per ſpirituoſum liquorem factae tribui, atque pro plenaria conuictione, occaſionem, eadem in corpore recens defuncto repetendi, expectandam eſſe, cenſui.

Haec quoque ex voto paulo poſt euenit. Quum enim Menſe Apri- li anni 1725. Cl. D. D. SCHVLZIVS, Fautor atque amicus mihi maxime colendus, tunc temporis Altorfii anatomes Profeſſor Celeberrimus, iuuenis cuiusdam violenta morte extincti corpus publice diſſecaret, iter, a Cl. D. D. WIDMANNO, Collega honoratiſſimo, comitatus eo feci, ibidemque ex beneuola laudati anatomici conceſſione diſquiſitionem profecutus ſum. Ean- dem aggreſſus, ſtatim iterum detexi *ramulos R R. ſaepius memoratos*, quos quum

(e) in tractatu, cui titulus: *Organiſmus et mechaniſmus in homine viuo obuius et ſta- bilitus. Lipſiae 1725. 4to. p. 120.* Defectum hunc in ſchediaſmate ſub titu- lo: *ductus ſalinalis nouus, pluribus obſeruationibus illuſtratus, confirmatusque ſimul atque a contradictionibus vindicatus et liberatus &c. Halae Magdeb. 1729. 4to* publicato, ſupplere equidem ſtuduit Cl. *A.* quando *figura ſecunda* venas, nouo ſuo ductui ſaliuali iunctas, repraeſentat; ſed quiuis, cui placet eandem ad normam naturae exigere, facile inueniet, quam parum deſiderio ſatisfe- cerit, atque venarum ramificationes multo capaciores et frequentiores quam ibi monſtrantur, exiſtere.

quum omnes, figuram Coſchwizianam conferentes, pro indigitatis ramis noui ductus agnouerint, nec alios ſupra neruum noni paris excurrentes viderint, eosdem iterum eodem in loco, vt antea, aperui, flatumque linguae apicem verſus immiſi, quo facto, non ſolum *glandulas maxillares* et *ſublinguales* turgere, ſed etiam *venas raninas* manifeſte inflari, aperte vidimus. Vt autem nexus horum vaſorum retrorſum quoque pateret, tubulum, per eandem aperturam, linguae baſin verſus direxi, et tunc flatum per *venae jugularis ramos* liberrime exire, conſtabat. His vero conſtrictis, aer inflatus diu captiuus haerebat, donec ille, vario modo agitatus, *viam ad ſuperficiem linguae ſuperiorem ducentem* inueniret, ibidemque ramulos hinc inde excurrentes atque paullulum modo ab iis, quos *figura tertia Coſchvvitziana* ſiſtit, abludentes, detegeret, omnesque praeſentes conuinceret, vaſa haec eadem omnino eſſe, quae Cl. COSCHWITZIO ductum excretorium hucusque ignotum componere videbantur. Hoc vnicum, a ſaepius laudato COSCHWITZIO additum, deficere deprehendimus, aerem ſcilicet per extrema vaſculorum non egreſſum eſſe. (f)

His ſatis ſuperque dum edoctus eram, Cl. COSCHWITZIVM mala fortuna ſeductum fuiſſe, vt venas linguae, huc vsque, quod fatendum, haud ſatis in ſcriptis anatomicorum explicatas, pro nouis agnoverit ductibus excretoriis, perquam opportune ex gratioſiſſimo REIPVBL. NORIMBERGENS. SENATVS indultu *menſe Nouembri* eiusdem adhuc anni 1725. ad publicas diſquiſitiones mihi conceſſum fuit corpus cingarae 26. annorum, ſclopeti ictu fatali vita orbatae. Vt ergo, inter alia, vaſorum linguae ſanguiferorum nexum et ſitum omnium oculis luculenter exponerem, eadem materia ceracea replere mecum conſtitui, idque, iterum praeſente laudato D. D. WIDMANNO, peregi. Facta itaque iniectione cerae rubrae in ramum arteriae carotidis externae ad linguam properantem, et cerae viridis in ramum venoſum ex lingua ad venam iugularem externam recurrentem, nil, praeter rubram materiam in filamentis hinc inde conſpicuam, ad ſuperficiem linguae ſuperiorem penetraſſe; viridem vero non ſolum inferiora linguae in vtroque latere, verum etiam pharyngis, vt et glandulae thyroideae vaſa, per totum ſuum ambitum, repleuiſſe vidi. Poſt iniectionem in ramum arteriae lateris oppoſiti quoque factam, remouenda remoui, glandulas maxillares a connexione cum muſculis liberaui, muſculum genio-hyoideum obliquum et rectum reclinaui, baſio-gloſſum quoque

 cum

(f) Huius diſquiſitionis mentionem quoque fecit Cl. D. D. SCHVLZIVS in *programmate, quo ad publicam diſſectionem et demonſtrationem Cadaueris maſculini Altorfii 1727. habendam inuitauit.*

cum cerato-gloſſo dextri lateris a principio ſuo ſeiunxi atque extrorſum traxi, nec non vaſa ſanguifera, nervos et ductus ſaliuales Warthonianos, cera flaua repletos, eodem cumprimis in latere, explicaui atque a ſe inuicem, vt diſtinctius apparerent, paullulum ſeparaui, tunc vero ſitum omnium linguae eique vicinarum partium inferiorum eo, quem Tab. I. ad typum facta ſiſtit, modo obſeruaui.

Explicatio Tabulae I.

A. apex linguae.
B. B. glandulae maxillares.
C. C. glandulae ſublinguales.
D. D. D. muſculi genio-gloſſi.
E. baſio-gloſſus ſiniſter cum cerato-gloſſo in ſitu ſuo relictus.
F. iidem dextri, a principio ſuo reſoluti et reclinati.
G. ſtylo-gloſſus dexter, a cerato-gloſſo tectus.
H. ſtylo-gloſſus ſiniſter.
I. I. cornu oſſis hyoidis dextrum, ſub membranis latens.
K. pars ligamentoſa oſſiculi triticei dextri eiusdem oſſis.
L. ſtylo pharyngaeus dexter.
M. M. genio-hyoidei recti.
N. N. genio-hyoidei obliqui, ſeu rectius, mylo-hyoidei.
O. O. ſtylo-hyoidei.
P. P. ventres poſteriores,
Q. Q. anteriores digaſtrici, maxillae inferioris.
R. R. omo-hyoidei, aliis, coſto- vel coraco-hyoidei.
S. S. ſterno-hyoidei.
T. T. T. glandula thyroidea, tum membranis tum muſculis ſterno-thyroideis tecta.
V. particula aſperae arteriae.
a. a. ductus Warthonianus dexter et ſiniſter, ſuper (g) glandulam ſublingualem, ſed abſque manifeſta communicatione, excurrens, ad
b. b. ſub tunicis linguae progrediens et ad latera frenuli hians.
c. c. ramus quinti paris neruorum, ſeu neruus guſtatorius dexter et ſiniſter, per anteriorem potiſſimum linguae partem diſtributus, glandulae quoque maxillari et ſublinguali de fibrillis proſpiciens.

[d. d.

(g) Scilicet intuitu huius figurae. Nam quod in eadem ſurſum reſpicit, in ſitu naturali inferiorem occupat locum, quae nota ad ſequentia etiam applicanda eſt.

d. d. nonum par neruorum, ſeu linguale, quod cum ſtylo-hyoideo, cerato-baſio- et genio-gloſſo communicatur, atque, linguae ſuperficiem ſuperiorem verſus, cum praecedenti pari format plexum, ex quo proficiſcuntur papillae nerueae, ſeu guſtus organon.

e. e. ramus inſignis arteriae carotidis externae, ad glandulas maxillares excurrens.

f. f. ramus eiuſdem arteriae, in ſiniſtro latere ſub cerato-et baſio-gloſſo ad linguae ſubſtantiam properans, in dextro, remotis his muſculis, in hoc tramite conſpicuus.

g. g. g. continuatio huius rami cum ſuis ramuſculis, iuxta genio-gloſſum linguam peruadens.

h. propago peculiaris eiuſdem ad ſuperiorem linguae ſuperficiem excurrens, nullibi tamen manifeſtam anaſtomoſin, qualem Cl. DVVERNOI ex cane depingit (h), cum ramo alterius lateris formans.

i. i. altera propago eiuſdem, glandulae ſublinguali proſpiciens.

k. k. vena iugularis externa.

l. l. eiuſdem ramus, infra glandulam parotidem deſcendens.

m. m. ramus alter.

n. n. tertius ramus, ex glandula maxillari huc accedens. Hic cum alio

o. o., ex lingua proueniente ramuſculo, continuus erat, in dextro quidem latere extrinſecus (i), in ſiniſtro vero interius in ipſo glandulae meditullio, eodemque mediante recipiebat propagines

p. p. p., ex glandulis ſublingualibus reuenientes, vt et illas

q. q. q., venas raninas dictas, nec non in latere ſiniſtro aliam inſignem

r. r., e regione tonſillarum reuertentem.

ſ. ſ. ſ. ſ. quartus ramus, ſuper muſculum baſio- et cerato-gloſſum ex lingua redux. Vltimus hic varios, per multiplices anaſtomoſes iunctos, recipiebat ſurculos: 1.) ſurculum

t. t., ex pluribus aliis compoſitum. A poſterioribus enim partibus, ſuper muſculum ſterno-hyoideum et omo-hyoideum, ad baſin uſque oſſis hyoidis, aſcendebat inſignis

v. v. v. v., cui in itinere hocce iungebantur alii, ex muſculis digaſtrico et mylo-hyoideo vt et ex pharynge recurrentes, et poſtea accedebat alius

x. x., a ſuperficie linguae ſuperiori remigrans, in ſiniſtro latere ramo *ſ*, in dextro ei, t notato, ſe inſinuans, vt et ille

y. y.

(h) l. c.

(i) quae ipſa coniunctio in noſtra figura a glandula incumbente tegitur.

y. y. y., ſub cerato - et baſio - glaſſo latitans. 2) ſurculum
z. z., ſuper muſculos genio - baſio - et cerato - gloſſos exſpatiantem. Singularis adhuc in dextro latere occurrebat coniunctio, trianguli in modum facta, ſcilicet 1) inter ramum o et ſ, 2) inter ſ. et z, 3) inter z. et o. et huic poſtremae coniunctioni implantabatur alia iterum propago, eaque inſignis
*, ex interiori linguae ſubſtantia, intra muſculos genio - et baſio - gloſſos prodiens. Omnes hucuſque indigitatae hae venarum diuaricationes, ad baſin oſſis hyoidis, cum iliis lateris oppoſiti concurrebant, atque arcum inſignem
☽ conſtituebant, quo mediante repletionem venarum vtriuſque lateris vna iniectione ſimul factam eſſe, intelligimus.

Id adhuc notandum eſt, ceraceam materiam ad venas raninas q. q. q. non penetraſſe, ſed ad initium illarum, reſiſtentibus valuulis, ſubſtitiſſe. His autem ſtilo deſtructis, tractus illarum flatu equidem facile detegebatur, ad perfectam tamen integrae ſuae capacitatis delineationem perduci haud poterat. Idem etiam contigit ramis x. x, hos enim eodem in loco, quo ſuperficiem linguae ſuperiorem attigerunt, a valuulis pariter occluſos deprehendi. Ne autem confuſio in tam exiguis ramis per ſolam flatus immiſſionem exoriretur, globulum, ob reniſum valuularum eleuatum, aperui atque mercurium viuum, per tubulum applicatum, impuli, qui iucundiſſimo ſpectaculo mirificas per ſuperficiem linguae ſuperiorem excurrentes detegebat ramificationes, Tabula II. depictas.

Tabulae II. Explicatio.

A. epiglottis.
B. B. regio tonſillarum.
C. C. C. glandularum linguae folliculi.
f. f. arteriae.
ſ. ſ. t. t. t. x. x. x. x. y. eaedem venarum ramificationes Tabula I. expoſitae, earumque, miris anaſtomoſibus iunctarum, per ſuperficiem linguae ſuperiorem diſtributio, et quidem in dextro latere magis in ſuperficie tantum, in ſiniſtro vero profundius, deprehenſa. x. in dextro latere ſeorſim monſtrat globulum, vbi mercurii viui immisſio facta eſt. Notandum autem, ramos t. t. ſurſum eſſe tractos atque expanſos. Neque etiam ſilentio praetereundum eſt, chalcographi errore tabulae I. ſitum inuerſum, dextrum ſcilicet loco ſiniſtri, eſſe repraeſentatum, ſecundum quem nexus vaſorum I. et II. Tabulae interpretandus eſt.

His

His expoſitis tandem concludo: *I. Vaſa omnia litteris* n. o. p. q. r. *ſ.* t. v. x. y. z. *. ☽. *indicata, verae ac genuinae ſunt venae.* Omnia enim vnica materiae ceraceae iniectione, per venam iugularem externam facta, ſimul repleta fuerunt. (k) *II. Ductus ſaliuales Coſchvvitziani, a venis diuerſi, non dantur.* Si enim tot ac tanta vaſa peculiaria, qualia ſiſtunt figurae Coſchwitzianae, adeſſent, certe, licet concedam, me illa, experimento tertium quoque facto, omnique adhibita cura, non animaduertiſſe: alii tamen Viri oculatiſſimi, coram quibus, vt et compluribus aliis omni attentione examen intuentibus, Altorfii et hic loci diſquiſitionem inſtitui, negligentiam deprehendiſſent. *III. Venae, quas monſtrat Tab. I. et II. noſtra, ipſi ſunt ductus ſaliuales Coſchvvitziani.* Probat hoc non ſolum ſimilitudo in his venis et ductibus nouis ſaliualibus conſpicua, verum etiam defectus venarum in figuris Coſchwitzianis, vltimis etiam atque omni ſtudio correctis, eo potiſſimum in loco notandus, vbi pluſquam ſemel obſeruatae ſunt venae, a COSCHWITZIO vero deprehenſi ſunt noui ipſius ductus. *IV. Nexus ac diſtributio venarum lingualium variat.* Secundum noſtram obſeruationem ne quidem venae vnius lateris illis alterius omni ex parte reſpondent. Differentia haec venis communis eſt, digna tamen nobis videtur, vt hac in parte ſigillatim pluribus obſeruationibus demonſtretur; quaenam ex illis conſtanter occurrant.

Non vſque adeo prolixus in hiſce fuiſſem, VIR CLARISSIME, niſi exdiſquiſitione hacce alia ſperanda foret vtilitas, quam ea probatio, Virum de re medica ceterum optime meritum hallucinatum eſſe. Iam ſuffeciſſet in hiſce nullum eum aſſecutum fuiſſe aſſenſum. (l) Operae

(k) Non obſtat, venas raninas flatu; illas vero ſuperficiei ſuperioris, mercurio repletas fuiſſe. Quum enim eodem in loco, vbi cera ſubſtitit, et valvularum praeſentiam per globuli eleuationem indicauit, progreſſum vlteriorem proſecutus fuerim, nullum ſupereſt dubium, quin eaedem cum reliquis vere ſint continuae.

(l) Nam praeter Tuam experientiam, Cl. D. D. DVVERNOI atque ALBINI aſſenſu ſuffultam, WALTHERVS quoque, *exercitat. de lingua humana Lipſ. 1724. p. 38.* et poſtea *HEISTERVS Compend. anat. 1727. not. 56. p. 291. a. 1732. part. II. p. 109.* anatomici aeque exercitatiſſimi ac celeberrimi aperte pronunciarunt, nouos hos ductus veras omnino eſſe venas. Cl. D. D. KVLMVS quidem cauſam communem cum COSCHWIZIO facere primum videbatur, *in deſcriptione anatomico-phyſiologica foetus alicuius monſtroſi, Gedani 1724. et in tab. anatomicis a. 1725. editis. conf. Miſcell. Vratisl. 1724. M. Febr. Claſſ. IV. Art. 10. p. 209. Mart. Claſſ. V. Art. 6. p. 325.* ſed idem ille

rae pretium potius duximus ex conformatione vaſorum ſanguiferorum linguae, maiori paullulum cura expoſitorum, Creatoris ſapientiſſimi gloriam, vt et ex nexu illorum momentum, in praxi medica attendendum, vel primis lineis adumbrare. Sane, qui conformationem eorum, vel fugitiuo oculo intuetur, facile deprehendit mirificam eius diſpoſitionem hic loci non minus quam alibi nunquam ſatis celebrandam: et qui nexum eorundem, cumprimis venoſorum, perpendit, haut maiori difficultate inueniet, quosnam vſus venarum raninarum atque iugularium externarum ſectio in faucium affectibus praeſtare poſſit, vt et quando haec illi praeferenda ſit.

His, occaſione noui ductus ſalinalis Coſchwitziani expoſitis, pauca adhuc ſubnectere liceat, quae mihi circa *ductus ſalinales non minus nouos Vaterianos atque Waltherianos* obſeruare licuit.

Primos a Cl. D. D. ABRAHAMO VATERO (m) indicatos, quod attinet, fateor me eosdem non magis ac Coſchwitzianos vnquam reperire potuiſſe. Quotquot ego examini ſubieci linguas humanas, vnica tantum liberum monſtrabat foraminis coeci orificium, in reliquis, licet eiusdem veſtigium in loco deſignato facile repererim, idem ſemper papilla arcte fuit clauſum, in omnibus vero nec ſeta, nec flatu, neque etiam mercurii vel alius liquidi impulſione notabilem eius detegere potui progreſſum. Nihilominus tamen auctoritati huius Viri, in adminiſtrationibus anatomicis exercitatiſſimi, ne quicquam derogatum volo. Si tamen verum, quod Cl. A. ipſe ſtrenue colit, dicere fas eſt, non nego, dubium haut leue mihi fupereſſe, num hi noui ductus Vateriani, atque imprimis eorum ambitus, vere diſtincti ſint a tunica celluloſa linguae, quam ſollicite deſcripſit Cl. WALTHERVS. (n) Ceterum, quum horum ductuum ſimiles quoque obſeruauerit

Prae-

ille, pro candore ſuo laudabili in Tabularum ſuarum anatomicarum nouiſſima editione Amſtelodami 1732. recuſa ingenue fatetur, ſe dubium nunc haerere, num vaſa, quae viderit, peculiares dicendi ſint ductus, an vero venarum ramificationes. Quando *D. D. LISCHWIZIVS, diſſ. de maſticatione Lipſ. 1725. ventilata §. 35. p. 32. ſeq. D.D. DVVERNOI* obiicit, illum experimenta ſua in cane, non in homine, inſtituiſſe, argumentum vero firmum non eſſe, id, quod in cane non inueniatur, nec in homine demonſtrari poſſe, exinde neque affirmatiuam neque negatiuam ſententiam fluere, ſed potius iudicium ipſius in ſuſpenſo relinqui nobis videtur.

(m) in programmate quodam a. 1720. et poſtea in peculiari ſcripto 1723. Witteb. edito.

(n) l. c. p. 33. ſeqq.

Praeceptor meus ad cineres colendus, celeberrimus D. D. HEISTERVS (o) lubens eiusdem ſententiam amplector, *foramen* ſcilicet *coecum*, *ſiue canalem*, *cum COLLINO, MORGAGNIO et VATERO, ductum excretorium glandularum lingualium, vel concurſum eſſe variorum ductuum, qui ex glanduloſa ſubſtantia linguae ſaliuam in os deponunt, eosdem vero ductus, praeſertim ſi magnum illud foramen abeſt, quemadmodum ſaepius contingit, per plura minora oſcula ſe exonerare, naturamque in his valde variare.* In cuius vltimi aſſerti probationem ego etiam produco ſchema Tabula III. ad linguam iuuenis decem et octo circiter annorum factum.

Explicatio Tabulae III.

A. A. epiglottis.
B. B. regio tonſillarum ad latera expanſa.
c. c. c c. c. c. acervus folliculorum membranaceorum, manifeſtis orificiis ſingularibus hiantium, ad glandulas, non ſolum in regione tonſillarum et in tractu ſuperficiei linguae ordinario, verum etiam copioſius circa radicem linguae diſſeminatas, obviam factus.

Folliculi hi ita erant comparati, ut ad lentis magnitudinem, flatu per orificium manifeſte hians immiſſo, facile diſtendi potuerint; declarabant inſuper tonſillarum atque glandularum ad baſin linguae hinc inde occurrentium vſum communem. His addo, iuuenem hunc ex graui cerebri per ſclopeti ictum facto vulnere mortuum, nulla tamen febri correptum fuiſſe. (p) Et per tranſennam quaſi indico, in eadem lingua apices papillarum neruearum tot tantasque extitiſſe, vt tota linguae ſuperficies ſuperior villis denſiſſimis obducta compareret, quorum denſitatem regio D. D. longitudinem E. E. indicat, F. vero, vt haec clarius commonſtrari potuerit, portionem radendo ab his villis liberatam.

Ad

(o) l. c. Qua ratione COSCHWITZIVS hoſce meatus et ſuos ductus ſaliuales eosdem eſſe affirmet, *in vlteriori noui ſui ductus ſaliualis expoſitione a. 1729. edita p. 22.* ego quidem nondum videre poſſum.


(p) Laeſionis huius et omnium ſymptomatum hiſtoriam oppido ſingularem vernacula lingua typis mandaui in ſchediaſmate, cui titulus: Gründliche Nachricht deſſen, was bey einer raren Haupt-Wunden obſerviret vvorden &c. Nurnberg, 1724. in 4. cum Tabb. aenn.

Ad alteros denique *ductus, Waltherianos*, quod attinet, eorum orificia atque notabilem progreſſum, loco a Cl. A. indicato, prima ſtatim occaſione reperi. Et quum ſitus eorundem ab illo, a laudato Autore Tab. I. II. vt et a Celeb. HEISTERO Tab. VII. fig. 33. notato paullo differat, eundem Tabula IV. delineare haut ſuperuacaneum duxi; imprimis quum ex collatione eorum patere viſum ſit, aliquam adhuc eorundem variationem annotandam ſupereſſe. Ipſum illorum cum glandula ſublinguali nexum, mercurii vel alius fluidi immiſſione, vlterius perueſtigare, neque tunc neque poſtea vacabat.


Et haec ſunt, VIR CLARISSIME, quae ab aliquot annis annotata atque depicta in vlteriorem repertorum inueſtigationem et emendationem aſſeruata, nunc vero Tecum, in abſoluenda ſaliualium ductuum hiſtoria occupato, communicanda habeo, vt eadem, ſi digna quidem iudicaueris, cum Tuis obſeruationibus conferre poſſis.

Larga nunc Tibi erit occaſio, in publicos vſus atque iuuandam medicinam, multas veritates ex anatomicis disquiſitionibus eruendi, quum gratioſiſſimo Superiorum Conſilio anatomes publice docendae munus Tibi demandatum ſit. Qua de re Tibi et Publico gratulatus, vt Deus vitam et vires firmas Clementiſſime largiatur, ex animo precor.


Quod reliquum eſt, rogo, vt Tuo favore in poſterum quoque me proſequi haut deſinas. Dabam Norimbergae ex Muſeo pridie nonarum ſextilium, A. R. S. cIↃ IↃCC XXXIV.


A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
V
a
b
c
d
e
f
k
l
m
n
o
r

Tab. II.



Tab. III.



Tab. IV.

